Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dissertatio Inauguralis Iuris Publici De Coexercitio, Sive Simultaneo Utriusque Romano-Catholicae Ac Evangelicae Religionis Exercitio Licito Ac Illicito

Schweder, Gabriel
Burgermeister von Deizisau, Gabriel Franz

Tubingae, 1727

VD18 11378891

Thesis XVIII.

urn:nbn:de:bsz:31-130851

Visual Library

wegen Wir uns bloß darauf beziehen / wann man Sie weitläuffiger ausgeführt zu lesen verlangt; von diesen beeden letzteren Scriptis aber hat man einen kurtzen Extract in den Electis Juris Publici *Tom. III. Part. VI. Num. XXI. pag. 459. seqq.* wann man sie kürtzer gefaßt haben und lesen will.

Welches Eu. Hoch-Fürstl. Durchl. zu gnädigst verlangtem Bericht Wir unterthänigst anfügen / nur noch dieses anhängend / daß ob Wir zwar allein des Anni 1624. als eines inter Romano-Catholicos ac Evangelicos constituirten Termini pro iis, qui ex capite Gravaminum restituendi, immer gedacht / doch nicht auszuschliessen gemeynt seyen das 1618.de Jahr / so pro Termino Restitutionis in favorem ex capite Amnestiæ restituendorum, darunter Pfaltz und Baden-Durlach insonderheit gehören / per Instrum. Pac. *Art. IV. §. 6. & 26.* geordnet worden / sondern einem jeden sein gebührendes und in Instrumento Pacis *Art. V. §. 2. 13. & seqq.* gegönnetes Recht salvum ac illibatum lassen wollen / mithin Eu. Hoch-Fürstl. Durchl. Unser Collegium zu fernerweiten beharrenden Hoch-Fürstl. Gnaden und Hulden submississime empfehlen wollen. Actum in Collegio nostro d. 3. Febr. 1720.

Decanus und andere Doctores Euer Hoch-Fürstl. Durchl.
Treu-gehorsamsten *Universität* Tübingen.

Thesis XVIII.

Coronidis loco quærimus: *Quid judicandum sit de Præjudiciali illa Clausula Articulo IV.to Pacis Rißwicensis Cæsareo-Gallicæ Anno 1697. conclusæ inserta?* Religione tamen Romano-Catholica in locis sic restitutis in Statu, quo nunc est, remanente. Quæ qua intentione à Regis Galliæ Plenipotentiariis, partim instinctu Pontificis aut Jesuitarum, partim ex proprii Status ratione dicto Articulo inserta sit, videre est apud Adam. Cortrejum *in Observat. ad dict. Art. Pac. Rißwicens. IV. num. 53. Anne ex ista Clausula Simultaneum recipiat stabilimentum aliquod?* Negamus autem hoc & pernegamus, cum dicta Clausula Articulo isti, invitis & reclamantibus Protestantibus, intrusa omnibus Legibus Imperii Fundamentalibus adversetur, & quidem nominatim I. Paci Religiosæ de

de Anno 1555. perpetuò ad compositionem dissidii Religionis inter nos & Pontificios usque duraturæ, vid. Rec. Imp. *de Anno 1555. §. 25.* plus quam vicies in Legibus Imperii Fundamentalibus confirmatæ, quâ definitum est, quod Augustanæ Confessionis Consortes in quieta possessione Bonorum Ecclesiasticorum & Redituum ad ipsos pertinentium relinqui, & nullæ inde lites ipsis unquam moveri debeant, vi d. Rec. Imp. *de Anno 1555. §. 19.* II. Paci Westphalicæ, quæ Paci Rifswicensi tanquam basis & fundamentum substernitur *in Art. III. Pac. Rifswic.* In dicta enim Pace Westphalica certus & decretorius præfixus est Terminus, qui præcise & accurate pro universali norma ac Regula habendus & observandus, tam ratione relinquendi & permittendi, aut non permittendi Exercitii Religionis alterutrius ex tribus in Imperio permissis Religionibus, quam ratione restituendorum aut retinendorum Bonorum Ecclesiasticorum, ita, ut Status, qui dicto tempore fuit, utrobique idem manere & observari debeat, nimirum ratione Bonorum Ecclesiasticorum restituendorum aut retinendorum determinatus est dies 1. Januarii Anni 1624. sic, ut quæcunque Bona Ecclesiastica dicto die & anno sive Catholici, sive Augustanæ Confessioni addicti aut Reformati possederunt, usque dum de Religionis dissidiis conventum fuerit, tranquille & imperturbate possideant, neutrique parti liceat alteri, seu in judicio, seu extra, negotium ullum facessere, multo minus vero turbas aut impedimentum aliquod inferre. Instrum. Pac. Westphal. *Art. V. §. 2. & 14.* Ratione autem relinquendi & permittendi, aut non permittendi Exercitii Religionis constitutus Terminus est unaquæque pars dicti Anni 1624. ita, ut quicunque Religionis hujus vel illius Exercitium sive publicum sive privatum quacunque dicti Anni parte habuerint, illud eodem prorsus modo posthac retineant, & si quocunque modo turbati aut destituti fuerint, protinus sine ulla exceptione in eum, quo Anno 1624. fuerunt, Statum plenarie restitui debeant. *d. Art. V. §. 31.* Qui vero nulla dicti Anni parte hoc vel illo Exercitio hujus aut illius Religionis gavisi sunt, & qui modo post publicatam Pacem Westphalicam diversam à Domino Territorii Religionem amplectentur, vel abinde jam amplexi sunt, patienter toleran-

lerandi, & conscientiâ liberâ domi devotioni suæ sine metu inquisitionis turbationisque privatim vacare, & in vicinia, ubi & quoties voluerint, publico Religionis Exercitio interesse, liberosque suos vicinis suæ Ecclesiæ Ministris baptizandos offerre, ac exteris suæ Religionis Scholis, aut privatis domi Præceptoribus instituendos committere permittendi. *d. Art. V. §. 34.* cui dispositioni Clausula ista è diametro contraria. Adversatur porro III. eadem Capitulationibus Cæsareis, in quibus Assertio Pacis Religiosæ & eam insecutæ Pacis Westphalicæ solenniter confirmatur, & nominatim Capitulationi Imperatoris Josephi, gloriosissimæ memoriæ, *Articulo XIII.* quo expressè cavetur: **Wir sollen und wollen auch keinen Frieden ohne Chur-Fürsten / Fürsten und Ständen Zuthun und Einwilligung schliessen / und insonderheit bey dessen Erfolg ernstlich daran seyn / damit das vom Feind im Reich occupirte / oder in Ecclesiasticis & Politicis geänderte zu der bedruckten Ständen und deren Unterthanen Consolation in den alten denen Reichs-Fundamental-Gesetzen und Friedens-Schlüssen gemässen Stand restituirt werde.** Quæ verba iisdem formalibus repetuntur in Augustissimi Imperatoris moderni Caroli VI. Capitulatione, *Articulo IV. in medio*, ita, ut post verba: **in den alten denen Reichs-Fundamental-Gesetzen und Frieden-Schlüssen**; in Parenthesi hæc noviter ponantur: (**worunter doch die Augspurgische** *Confessions*-**Verwandte den Rißwickischen Frieden nicht verstanden haben wollen / die Catholische aber sothane** *Reservation* **an seinen Ort ausgestellt seyn lassen /**) ante subjecta verba: **gemässen Stand restituirt werde**; Ubi verba Parenthesi inclusa respiciunt & innuunt enixum Statuum Imperii Protestantium desiderium abolendi præjudicialem istam Clausulam Articulo IV. Pacis Risswicensis insertam, ceu Instrumento Pacis Westphalicæ, præcedenti Articulo III. Risswicensis Pacis pro basi & fundamento confirmato, oppidò contrariam. IV. Pugnavit directò cum Instructione ab Imperio Deputatis ejus ad ipsos Tractatus Pacis Risswicensis data, quæ utrisque tam Catholicis, quam Evangelicis normam agendi præscripsit, & cum eadem Instructio à Sacra Cæsarea Majestate confirmata fuerit, etiam Legationem Cæsaream obligavit, ut contra tenorem illius, quod omnia tam in Ecclesiasticis, quam Politicis, quocunque modo muta-

mutata ad normam Pacis Westphalicæ in pristinum Statum reponi debeant, pacisci & accepti Mandati fines excedere, nec Cæsareis, nec Imperii Legatis licuerit. V. Contraria itidem fuit Instructioni Particulari, quam Deputati Augustanæ Confessionis à Corpore Evangelicorum acceperunt; uti etiam VI. Mandatis Particularibus Principalium ipsorum eòdem collimantibus, ut nil admitterent contra Sanctionem Pacis Religiosæ & Westphalicæ, quæ tot millium sanguine redemta. Porro VII. adversa fuit ipsi Guarantiæ Pacis Westphalicæ, ad quam præstandam ipsemet Rex Christianissimus ex spontanea receptione fuit obligatus. VIII. Præliminaribus Pacis Risswicensis, quæ fundamentum fuerunt Tractatuum inde secutorum. Nec non IX. Projecto d. 20. Julii, & Declarationi die 1. Sept. 1697. à Legatione Gallica extraditis, quæ de mutatione adeo periculosa Instrumenti Pacis Westphalicæ ne minimam quidem mentionem fecerunt. Contrariatur ulterius dicta Clausula X. Articulo præcedenti III. Pacis Risswicensis, juxta quem Pax Westphalica & Noviomagensis dictæ Risswicensis basis & fundamentum esse, eæque, ut additum est, statim à commutatis Ratificationum formulis, in Sacris & Profanis plenè executioni mandari, & posthac sartæ tectæ servari debent. Quod vero attinet Clausulam ibi adjunctam: *Nisi quatenus aliter conventum est*, illam tantum de Profanis, & nullo modo de Ecclesiasticis, intelligi posse, ex superius allegatis & multis aliis passibus Instrumenti Pacis Westphalicæ manifestè deprehenditur. Sancitum enim ibi est specialiter *Art. V. §. 31.* quod Aug. Conf. addicti posthac in habita vel recuperata possessione nullo modo turbari, sed ab omni persecutione juris & facti perpetuò tuti esse debeant, donec controversiæ Religionis compositæ fuerint. His aliisque gravissimis rationibus moti Status Imperii, Protestantes scil. imprimis, in præjudicialem hanc intextam Clausulam se neutiquam consentire posse declararunt, & hinc per Legatos suos, adhuc præsentes, Tabulas Pacis Risswicensis subscribere ac signare recusarunt, paucis exceptis, qui id fecerunt propterea, quod Dominorum suorum terræ & urbes maxime præ aliis periculis expositæ, & eo modo subscripserunt, ut expresse testarentur, in cæteris rebus, quæcunque sint, nunquam se ab Evangelicorum consortio abalienatos fore; Urserunt inde in Comitiis Imperii Clausulæ illius declarationem, imo totalem ejus abolitionem, quâ licet haud impetratâ, tamen cum ita sit,

ut ſæpius memorata Clauſula, ob perpetuam ipſorum contradictionem & proteſtationem, vim Legis Univerſalis ipſos obligantis contra Sanctionem Pacis Weſtphalicæ vix obtinere potuerit, & ipſe Galliæ Rex per Legatum ſuum Chamoiſium in Comitiis Ratisbonenſibus mentem ſuam de dicto Articulo IV. Pacis Riſswicenſis & illi inſerta Clauſula iſta oretenus ita declaraverit: nolle ſe eam alio ſenſu intelligi, quam de terris ſub ipſius poteſtatem redactis, in quibus ipſe ad teſtificandum animum religioſum Templa quædam extruxerit, aut reditibus ſacris dotârit; ac paulo poſt ita explicaverit: in omnibus locis, ubi poſt Pacem Noviomagenſem Praxis Religionis Catholicæ inducta ſit, Statum eundem nunc eſſe oportere; tantum abeſt ergò, ut ex dicta Clauſula Catholici pro Simultaneo in Templis Evangelicorum argumentum vel fulcimentum aliquod petere queant, cum dicta Clauſula tantùm voluerit, Religionem Catholicam manere debere in ſtatu, quo tum fuit in locis durante bello iſto per Pacem Riſswicenſem ſopito à Rege Galliæ in Palatinatu & terris Rheno vicinis, tàm via facti, quam Reunionum nomine, occupatis, & vi dictæ Pacis reſtituendis; Libertati autem Religionis Evangelicæ per eandem Clauſulam nihil detractum, ſed Proteſtantibus liberum Religionis ſuæ Exercitium cum omnibus annexis bonis, templis, fundationibus, monaſteriis, hoſpitalibus, reditibus, juribus, acceſſionibus ſalvum ac illibatum relictum, prout vigore Pacis Weſtphalicæ habuerunt & retinere debuerunt, donec de Religione Chriſtiana amicabiliter convenerit. Videantur, quæ de famoſa illa Clauſula collegerunt, Joh. Chriſtian. Lunig im Reichs-Archiv *Partis Gener. Continu. II. fol. 1324. ſeqq.* Adam. Cortrejus *in Obſerv. ad Pac. Riſſwic. Art. IV. pag. 134. ſeqq.* Author *Obſerv. Hallenſ. Tom. V. Obſerv. V. & VI.* Dn. Böhmer *Diſp. de Poteſtate Civili in Templa Cap. II. Sect. V. §. 47. ſeqq.* Ant. Faber in der Europäiſchen Staats-Cantzley *Part. III. Cap. IX. Part. IV. Cap. X. Part. IX. Cap. II. Part. XV. Cap. II. Part. XXIII. Cap. X. XI. & XII. Part. XXIV. Cap. X. Part. XXXIX. Cap. VIII.* Speramus vel tandem plenam Pacis Weſtphalicæ Reſtitutionem, & Gravaminum, quæ Evangelici hactenus contra Pacis hujus Inſtrumenta perpeſſi, abolitionem, per ſinceram, honeſtam & conſtantem Pacem, in quam TU DEUS Pacis & Dilectionis da conſpirare, da conſentire Sacram Cæſaream Majeſtatem, omnesque Reges & Principes Chriſtianos, ad commune noſtri Imperii, totiusque Orbis Chriſtiani Bonum.

TANTUM.